15116

Van Beuskom

SPECIMEN PATHOLOGICO MEDICUM
INAUGURALE,

DE ILEO,

SPECIATIM EX PRAETERNATURALI INTESTINI CIRCUMSTRICTIONE, OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATO.

SPECIMEN PATHOLOGICO MEDICUM
INAUGURALE,

DE ILEO,

SPECIATIM EX PRAETERNATURALI INTESTINI CIRCUMSTRICTIONE, OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATO,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS HENRICI PAREAU,

PHILOS. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET THEOL. DOCT. LITT. ORIENT. PROF.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMI ORDINIS MEDICI DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

HENRICUS JOOST VAN BEUSEKOM,
BOMMELIENSIS,

DIE IX. MAJI MDCCCXXII. HORA IV.

TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA O. J. VAN PADDENBURG,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO

F. J. HARBAUR,

ORDINIS REGII LEONIS BELGICI EQUITI; REGIS OPTIMI MEDICO PRIMARIO; CURANDARUM RERUM MEDICARUM IN REGNO BELGICO PRAEFECTO; INSPECTORI GENERALI RERUM MEDICARUM MILITARIUM REGNI BELGICI;

NEC NON

PROFESSORI MEDICINAE IN ACADEMIA LOVANIENSI; ETC. ETC.

SACRUM FACIT

AUCTOR.

Medicinam ſola fecit obſervatio, eamque ſola perficiet.

ZIMMERMAN.

PROOEMIUM.

Finitis ſtudiis meis academicis, ut legibus ſatisfaciam, requiritur, aliquod ſpecimen conſcribere, ut hac ratione, lauream conſequar doctoralem; diu vero dubius haeſisſem de ſpeciminis materia, niſi, durante praxi medica in noſocomio militari hujus urbis, exemplum ſe obtulisſet *Ilei lethalis*, cum ſingulari admodum circumſtrictio-

ne, et viri Clar. DE FREMERY et SUERMAN, Medici ordinis Profesfores, in hac Academia, me, ad hanc obfervationem fpeciminis forma elaborandam, exhortati esfent.

Ast, proh dolor! hac in re dum esfem occupatus, obtemperandum fuit officio Chirurgi militaris, atque huic Mufarum fedi valedicendum, et ita etiam opportunitati, utendi Bibliothecâ Academicâ, aliisque adminiculis, quibus lubentisfime ad fpecimen hoc perficiendum ufus fuisfem. Hinc igitur paucos tantum fcriptores confulendi occafio mihi data fuit, et hâc quoque de caufa, fpecimen hoc non nifi incultum et parum elaboratum in lucem est emittendum; quod vero propter obfervationis raritatem (paucae enim profecto hujus naturae obfervationes adhuc inveniuntur) benevoli Lectoris attentionem aliquomodo, ut fpero, merebitur.

In fine binarum obfervationum materiam iconi-

bus,

bus, mutationes in cadavere repertas exhibentibus, illustrare conatus ſum.

Tibi vero Celeberrimo DE FREMERY, Promotori eruditisſimo, pro praeſtito, in conſcribendo ſpecimine, auxilio, cujus memoria nunquam ex animo meo excidet, gratias habeo quam maximas. Tum etiam vestra Clar. BLEULANDE, SUERMANNE et WOLTERBEEK, praeceptores aestumatisſimi! beneficia grato animo ſemper recordabor.

Hoc ſpecimen in duas partes dividere conſtitui, ita ut,

In *Primo Capite* breviter *de Ileo generatim* agam;

In *Secundo Capite*, duas *obſervationes* exponam, quarum alteram ipſe obſervavi, alteram vero, ex diario quodam extractam, naturâ circumſtrictionis, cum priore multam analogiam habentem, illi cum fructu ſubjungi posſe, putavi.

In his autem L. B.; ſi, de quo non dubitandum, multa inveniuntur, propter ſtyli ariditatem et verborum inelegantiam non ſatis arridentia, praedictas ob cauſſas benevolentiam tuam enixe rogo.

CA-

CAPUT PRIMUM.

DE ILEO GENERALIA.

SECTIO PRIMA.

DEFINITIO MORBI.

Plerumque ab auctoribus ſub nomine *Ilei* (a Graeco vocabulo εἰλέος) *Pasſionis Iliacae ; Miſerere mei*, *Volvuli*, (a Graeco εἰλεῖσθαὶ convolvi ; *Chordapſi* (1), (a Graeco χόρδὴ, chordâ et ἅπτω annecto, allego, (Germanis *Darmgicht*) intelligitur illa affectio morboſa intestinorum, in qua abnormitas non ſolum motus periſtaltici obſervatur, ſed tractus intestinalis, conſtrictione vel angustatione praeternaturali ita afficitur, ut, hinc continuitas canalis et transitus contentorum naturalis impediatur ; incipiens cum doloribus ſpasmodi-

(1) SCHMALZ, *Verſuch einer Med. und Chir. Diagn.* § 1034.

dicis ventris, vomitu vehementi materiarum in ventriculo haerentium, quae, deinde ſponte ſtercoraceae fiunt, unâ cum alvi pertinaci conſtrictione (1).

Licet ſedes hujus morbi plerumque in *Intestino Ileo* obſervetur, unde denominatio, *Ileus*, derivari potest; dantur tamen etiam exempla, in quibus, in aliis intestinorum partibus, quin imo in ventriculo, ſedes hujus morbi obſervata fuit (2). — Hoc in loco ſolummodo unum exemplum ex multis hac de re proferam, idque recentioribus temporibus a viro Doctisſimo LARREY, apud militem, cephalitide et enteritide acuta, tertio die jam extinctum, obſervatum. Erant hic, teste Viro Clar. » *dans le bas ventre trois* « *intus-ſusceptions dans le jejunum, de* 2, « *3 et 4 pouces d'invagination récente, et* « *ſans inflammation a cet intestin, mais il* « *y en avait une asſez prononcée dans l'Ileon,* « *et le gros intestin*" (3) *etc.*

(1) MARSHAL HALL. *On Diagnoſis* Lond. 1817.

(2) RICHTER, *Therap. Spec. T. V. p. 210.* DE JEAN, *Commentar. in Inſtit. Pathol. Tom. III. pag. 655.*

(3) *Nouv. Journ. de Médécine T. X. Avril 1821.*

SEC-

SECTIO SECUNDA.

SYMPTOMATA.

Haud raro hic morbus formâ Chronicâ, et ſymptomatibus benignioribus incipere ſolet. Aegri tum ſaepius Dyspepſia, cum doloribus colicis, obtuſis, vagis vexantur in imo ventre; post pastum, vomituritione ingeſtorum corripiuntur; plerumque tamen hoc ſtadium benignitatis breviter decurrit, et nunc ſymptomata magis esſentialia intrant; vomituritio ſcil. vehemens et frequentior, quae, ſponte in conatum vomendi ſeu ſtrangulationem infructuoſam mutatur, aegrotantibus valde incommodam; dolores lancinantes et acuti obſervantur, praeſertim regionem epigastricam ſeu umbilicalem occupantes; aegrotantes conclamant de ſenſatione ingrata, in ſuperiore abdominis parte, tanquam ſi intestina tenuia inter ſe convolverentur; ſupini decumbunt genubus retractis, praecipue ſi eodem tempore mor-

morbus cum hernia inguinali vel crurali complicetur.

Dolor, qui in initio morbi spasmodicae naturae fuit, nunc, progrediente morbo, characterem magis inflammatorium acquirit, durante vero ulteriori morbi decursu aliquando quoque symptomata fallacia apparent, et aegri conditio emendata se monstrat. (1). Sed cito omnia symptomata denuo increscunt; vomitus, qui ab initio biliosus et mucosus fuit, nunc stercoraceus fit, sicque verum Ilei characterem indicat (2).

Paulatim abdomen tumere incipit; tactu externo contorsiones intestinorum inprimis tenuium percipiuntur; dolores, initio totum abdomen occupantes, nunc circa umbilicum magis se contrahunt; sensumque producunt umbilici Chordâ quasi circumvoluti, una cum tensione valde dolorifica ventris (3), et haud raro ano ita saepe contracto, ut non admittat suppositorium.

Hisce symptomatibus, quae essentialia dici possunt,

(1) Marshal Hall. loc. citato.

(2) Richter, loc. cit. Consbruch. *algem. Pathol* § 544. *The Edinb. med. and surg. Journ. Vol. III. p. 262 et Vol. VIII. p. 129. sqq.*

(3) Bonnetus, *Sepulchr. Anotomic Libr. IV Cap. XXVI.* Schmalz, loco. cit.

funt, alia accidentalia feu concomitantia fe jungere folent; pulfus, qui in initio morbi non valde afficitur, hoc in periodo fit parvus et acceleratus; omnia quae ingeruntur ftatim denuo ejiciuntur; fitis est inexplebilis; anxietas ingens; conftipatio pertinax; Dyspnoea, fingultus et tremores; intestina aëre replentur, et meteorismus accedit, facies pallida est, terrea, contracta et frigida; lineamenta ejus infolita, turbata, distorta apparent; pedes, manusque cutim anferinam exhibent; proftratio virium maxima obfervatur; fudor in fronte frigidus; fingultus affiduus; pulfus, antea parvus et acceleratus, nunc intermittens; animi deliquia, initio folummodo per intervalla obfervata, jam diuturniora evadunt; facies Hippocratica adest, et tandem mors tristem fcenam claudit.

Haud raro, in hoc ftadio morbi periculofisfimo et brevi ante mortem, remisfio notabilis non folum dolorum, fed omnium fere fymptomatum obfervatur; aeger in meliore conditione verfari videtur, intumescentia ventris minuitur, vomitus minor est, imo alvus folvitur (1), attamen infequenti die, aeger moritur.

Ca-

(1) RICHTER, Th rap. fpec. *l. c.*

Caveat hîc Tyro, intestini enim inflammationem in gangraenam transituram esse, haec indicant symptomata.

Decursus hujus morbi in universum typum regularem non servat, plurimum hoc pendet ab ejus caussis et gradu; apud aegrum nostrum morbum brevi temporis spatio cursum absolvisse, videbimus; illum autem aliquando per plures hebdomadas cursum protrahere posse, dantur exempla (1); sic legitur casus memorabilis hominis, qui post usum magnae copiae ciborum, et durum laborem, illico dolore gravi circa umbilicum, cum animi deliquiis corripiebatur; initio morbus inflammatio intestinorum fuit habitus; post 21 hebdomadum autem decursum, in gangraenam desiit; cadaveris sectio monstrant sequentia: « *der ganze Krumdarm sammt einem Theil des ihm angehörenden Gekröse durch den ganzen Grimdarm bis ein paar Finger hoch über den Mastdarm involvirt hindurchgegangen* » (2).

Quan-

(1) Richter, *Chir. Bibl. XI. B. 4 St. pag.* 553.

(2) *Rhein. Jahrb. für Med. und Chirurg. IV. B. 1 St. p. 80. 1821.*

Quando autem morbus per longum tempus durat, non cum eâdem constantiâ perstare solet, at interdum remissiones notabiles, imo perfectas intermissiones offert. (1)

Apud nonnullos auctores MORGAGNIUM, RICHTERUM (2) aliosque inter symptomata morbi pathognomonica quoque indicatur, faeces in intestinis contentas, imo clysmata, et suppositoria ano immissa, per os sursum rejici. Si quis autem quaerat, num illud re vera fieri possit; num materia stercoracea, Clysmata, et vel ipsa suppositoria sursum ferri possint? Sunt qui affirmant Viri Doct. sunt qui negant (3), non nostrum tantas componere lites, materiam vero stercori simillimam, haud raro per os ejici docuit experientia.

(1) RICHTER, *Therap. spec. l. c.*

(2) MORGAGNUS, *Advers. anatom.*

(3) DE JEAN, *op. citat. pag. 657.*

SEC-

SECTIO TERTIA.

CAUSAE.

Duae ad Ileum producendum concurrant conditiones, neceſſe est.

1°. *Diſpoſitio quaedam* in corpore praeſens, et quidem;

a. Intestinorum abnormalis irritabilitas, ob quam haecce organa facilius a quovis ſtimulo, praeſertim heterogeneo, afficiuntur.

b. Intestinorum a praegreſſis repetitis inflammationibus, haud raro chronicis et occultis, aut a doloribus colicis frequentioribus, relaxatio.

c. Intestinorum praegreſſa vulnera, imprimis cum dolores in locis antea vulneratis appareant.

2°. *Cauſſae occaſionales;* quarum quae ad primarias praeſertim pertinent, etiam duplici ratione dividuntur.

a. *In cauſas mechanicas*, quae ſuo obſta-

ſtaculo vel interno vel externo, motui periſtaltico naturali non ſolum obſtant, ſed liberum transitum contentorum impediunt.

b. In cauſas Dynamicas. Hae cauſae profecto non ſunt tam frequentes, ſed per mutationes morboſas in Corpore Humano productas impediunt, quo minus, intestinorum; actio libera abſolvatur; et motum periſtalticum inordinatum provocant.

Omnes hae cauſae, tamen in eo convenire videntur, quod obſtaculum difficillimum, imo inſuperabile offerant, quo omnino prohibeatur, ne ex ſuperioribus, quidquam transmittatur ad inferiores intestinorum partes.

Cauſae mechanicae ſunt ſequentes.

1°. Faecum induratio; faeces durae, non raro internae intestinorum membranae tam firmiter adhaerere posſunt, ut hac ratione obſtaculum ponatur, vix ullo remedio ſuperabile; praeſertim ſi eodem tempore anguſtioribus intestinis praeditus ſit aeger, et ſimul vitam ſedentariam ducat.

2°. Corpora dura deglutita; ex. gr. corpora me-

metallica, uti monetae; nuclei fructuum horaeorum, cerasorum, prunorum similesque, quae volumine seu mole cavum intestinorum obturant, et superiorem partem expandunt; huc quoque pertinent deglutitae piscium spinae, transversa positione in intestinis haerentes (1).

3°. Compressiones externae; praesertim apud foeminas, quae Thoracibus balaenaceis, corpus cingentibus, per hos abdomen tam firmiter constringunt, ut nullatenus mirandum sit, intestinorum hinc angustationes oriri, quae in connubio cum aliis caussis, facile huic morbo ansam praebent.

4°. Corpora dura, ipsis in intestinis formata, prouti, corpora callosa, et concrementa calculi (*Enterolithiasis* (2)).

5°. Vulnera intestinis inflicta.

6°. Lumbrici, imprimis in globum convoluti, sensim ex omni parte sibi invicem adhaerentes, ut tandem integra intestini cavitas aboleatur; caussam hanc breviter casu, quem ob-

(1) Richter, *l. c.*

(2) Schmalz, *op. citat.*

obſervare mihi contigit, illustrare liceat; Militis, ex agmine pedestri N°. 15°. a°. 1819, noſocomium Militare Antverpienſe, hora quinta vespertina ingresſi, de continuo post coenam vomitu vehementibusque ventris doloribus querentis, animi deliquiis correpti, et ejusdem diei hora ſeptima et dimidia mortui; cujus cadaveris ſectio obtulit, plures intestini Ilei intusſusceptiones, praeſertim notabilem quamdam in ſinistra lumborum regione, et in viciniis globum, ex duodecim lumbricis, in ſe invicem convolutis formatum.

7°. Alimenta quantitate (1), vel qualitate peccantia.

8°. Cujuscunque generis tumores omenti, aliorumve viscerum abdominalium, tractum intestinalem comprimentes vel obturantes, verbi cauſa, ſcirrhi, carcinomata, forſitan quoque aneurysmata, varicesque; Bisset (2) loquitur de tumoribus lymphaticis, in intestino colo repertis, cauſam mani-

ni-

(1) Richter, *Chir. Bibl. 11 B. 3. St. pag. 370.*

(2) Id. *opus cit. Vol. IX. 2 St.*

nifestam Ilei constituentibus. RHODIUS (1) narrat casum, costarum inferiorum intiorsum flexarum, intestinorum cavum comprimentium. DUPORT (2), observationem communicat, in qua, sectione cadaveris post mortem apud aegrum Ileo exstinctum, in mesenterio Lypoma notabile inveniebatur.

9°. Herniae incarceratae externae et internae. BONNET (3) narravit casum herniae internae, in quo pars duodeni et ventriculi per foramen diaphragmatis protrusa, strangulationem seu herniam internam efficiebat. — Medico igitur ad aegrum vocato, vomitu continuo cruciatum, ante omnia igitur perscrutandum est, utrum forte hernia aliquatenus incarcerata adsit? Haud raro parvulae herniae ab aegris non observatae omnium horum symptomatum caussae esse possunt.

10°. Volvulus seu intus susceptio.

11°. Atresia ani nec non intestinorum, ita ut aut

(1) RICHTER, *Therap. Special. Tom. IV. pag. 208.*

(2) *Journal de Médécine Tom. LXVIII.*

(3) RICHTER, *loc. cit. T. IV. pag. 206.*

aut meconii aut foecum excretio impediatur (1).

12°. Intestini recti angustatio, et induratio (2).

Hac causſae generatim inter laeſiones organicas recenſeri posſunt, ad quas etiam circumſtrictiones praeternaturales pertinent, ex. gr. ope procesſus vermiformis, ſeu ligamentorum praeternaturalium quemadmodum ex binis obſervationibus in Capite ſecundo enarrandis conſtat.

Inter cauſas Dynamicas praeprimis referendae videntur.

1°. Intestinorum et meſenterii inflammationes tam acutae quam chronicae; inflammatione enim intestina notabilem et abnormalem ſenſibilitatem acquirunt, ita ut ex minima acritate, dolor, ſpasmus, et convulſio nascantur; porro per exſudationem, inflammationibus propriam, cavitas intestinalis inſigniter coarctari potest, vel eâdem exudatione nova produci ligamenta, quibus om-

(1) HASSELMAN, *Disſ. de Ani intestinorumque Atreſia pag. 59.*

(2) Vid. RICHTERS *Chir. Bibl. 5 B. 2 ſtuck pag. 282. et Vol. III. Pars 2. pag. 139.*

omnibus circumſtrictioni intestinorum morboſae, nullis remediis ſuperandae, anſa datur, prouti ex prima obſervatione hujus ſpeciminis patebit.

2°. Metaſtaſes Rheumaticae, Podagricae, Herpeticae et Venereae.

3°. Intempestiva diarhoeae ſuppresſio.

4°. Colica ſaturnina ſeu pictonum.

5°. Dyſenteria.

6°. Spasmus vel conſtrictio praeternaturalis intestinorum; cauſae horum ſpasmorum ſeu conſtrictionum valde diverſae ſunt; medici multum igitur interest, naturam causſasque hujus affectionis rite cognitas, et perſpectas habere.

7°. Subitanea et univerſalis tranſpirationis ſuppresſio.

8°. Animi pathemata deprimentia.

9°. Venena acria.

SEC-

SECTIO QUARTA.

DIAGNOSIS.

Ilei, ab aliis inflammationibus, affectionibusque intestinorum et organorum, abdomen occupantium, distinctio, non levi premitur difficultate; sequentibus tamen signis pathognomonicis dignosci posse videtur. Scilicet a simplici vomitu, eo, quod dolores, eructationes, aliaque symptomata, in Ileo graviora sunt, et alvus pertinaciter constipata manet.

Enteritis autem seu intestinorum inflammatio, quae tam respectu sedis, quam symptomatum, cum Ileo maximam habet similitudinem, ab hac tamen distinguitur vomitu non continuo, neque statim post invasionem morbi, nec ilico post assumptos potus intrante, neque faeculentem materiam evacuante, sed aegros praesertim in morbi ἀκμῇ cruciante; praeterea eo, quod febris aliaque signa inflammatoria constanter adsint, quae in Ileo non nisi, concomitante inflammatione, observantur (1).

A

(1) Schmalz, *loc. cit.*

A colica Saturnina ſeu Pictonum in eo differt, quod praeter alia ſymptomata generalia in hoc morbo conſtantia, dolores in artubus imprimis inferioribus, cum paralyſi brachiorum, in Ileo non obſervantur.

In Gastritide autem dolor ſolummodo in ſcrobiculo cordis haeret, et tactu inſigniter augetur, eodem loco perſeverat, et alvus non est conſtricta.

In Peritonitide non ſemper adest vomitus, dolor magis in ſuperficie ventris adest, et quovis tactu, musculorumque abdominalium actione, reſpiratione, tusſi, et corporis motu, plerumque valde augetur, nec in hoc morbo, nec in praecedente, nec in reliquis viscerum abdominalium inflammationibus, conſtrictio illa vehemens quaſi Chordae circa umbilicum ſentitur, quod ſymptoma in Ileo ſere ſemper obſervatur; febris contra in illis ab initio et *Idiopathice* conſtanter adest, hic vero, aut non, aut unice in ulteriore morbi decurſu *Symptomatice* invadit.

SEC-

SECTIO QUINTA.

PROGNOSIS.

Cum igitur hicce morbus ad illos pertineat, qui fere ſemper in ſanitatis vitaeque perniciem tendunt, prognoſis, in eo formanda, generatim, rariore caſu excepto, valde profecto infauſta erit, et eo magis, quia in plurimis exemplis, haec affectio non tempestive dignosci, nec actio intestinorum normalis, ſemel turbata, facile in rectam viam reduci, neque impedimenta hunc morbum producentia ſemper cognosci, vel etiamſi cognita, tolli posſint.

Ileus dumtaxat ſpasmo tractus intestinalis valde irritabilis productus, viribus aegri laudabilibus, conſtitutione ſana, et vitae genere bono, prognoſin magis minusve fauſtam recipit; contrariam vero ſiniſtramque in hominibus graviore viscerum abdominalium inflammatione antea correptis, vel dolores colicos, ſaepe redeuntes, perpesſis.

Bonum est ſi vomitus cesſet, alvus ſolvatur, dolores pedetentim diminuantur; inter pesſima ve-

vero ſigna referenda ſunt, ſymptomatum esſentialum augmentum; doloris antea praeſentis ſubitanea abolitio; ſingultus; extremitatum frigus; ſudores partiales frigidi; facies Hippocratica; et pallor cadaveroſus. HIPPOCRATES (1) et GALENUS (2) monuerunt, raro vel nunquam emergere Ileo correptos, ſi ſtercus vomuerint. — Denique ex ſymptomatum vehementiâ majus minusve morbi periculum pronuntiatur.

Ileus uti caeteri morbi etiam in ſanitatem, in alios morbos, vel mortem terminatur. Exitus in ſanitatem vero haud raro exſpectatur; ſi autem irritationis auctae ſymptomata imminuantur, venter paulatim detumescat, vomitus cesſet; et organa digestioni inſervientia denuo normali ratione agere incipiant, eodemque tempore critica phaenomena ſe monſtrant, uti v. gr. ſudor copioſus, urina ſedimentoſa, eruptio cutanea miliaris, omnia haec exitum fauſtum indicant.

(1) *De Morbis Lib. III. Cap. XIII. Charter T. VII. pag. 588.*

(2) *Defin. Med. N. 273. Charter T. II. p. 264.*

SEC-

SECTIO SEXTA.

CURATIO.

Quamvis complures praxeos medicae ſcriptores, inter quos Cullenum, Richterum, Alibertiumque nominasſe ſufficiat, de Ilei curatione ſatis late ſcripſerint, nos tamen, ut de medendi methodo pauca quaedam in medium proferamus, propoſitus ordo jubet.

Triplex autem hic implenda videtur indicatio.

1°. Prima *Cauſalis:* ſcilicet attendendum est ad cauſas hunc morbum producentes; ſic exempli gratia; hernia taxi reſtituitur, vel ejus incarceratio, ſi remediis conſuetis non cedat, operationis ope, herniotomia dicta, curatur. — In ani atreſia perforatio commendatur, vel anus artificialis ſi fieri queat, formatur. Sin contra a vermibus, vel a bile acri, vel ab ingestis nocivis producatur morbus, nimiam irritationem ac graviora phaenomena hinc producta, antea compescere pos-

tu-

tulare videtur indicatio, ut deinde omnia corpora nociva evacuentur (1).

Doct. JOHNSTONE (2), CULLEN (3), RICHTER (4) in ani angustatione indurationeque dilatationem, ope candelarum ſeu ſpecillorum ſenſim majorum, uti in praeceptis chirurgicis docetur, hunc in finem commendant. Diverſae morborum metaſtaſes ſecundum earnm naturam curandae ſunt, auxiliaque ad materiam retrogradam cutim verſus derivandam quaecunque, maxima cum celeritate, in uſum vocanda; itemque evacuationes conſuetae ſuppresſae, quantum fieri potest, ſunt reſtituendae: in ſuppresſione Diarrhoeae intempestiva, remedia leniter eccoprotica forſitan felici cum ſucceſsſu adhiberi posſunt, ut tali modo pristinae evacuationes denuo appareant. In ſubitanea tranſpirationis ſuppresſione, methodus efficacisſima aperiens et diaphoretica adhibeatur, omnia denique talia in auxilium vocentur, quae cauſarum vehementia et necesſitas indicare videntur. Ileus, quodam reſpectu a cauſis, praeſertim in ſyſtema ner-

(1) RICHTER, *op. cit. Tom. IV. pag. 214.*

(2) Conf. *Chirurg. Bibl. V. B. 2 St. pag. 282.*

(3) *Anfangsgr. der pract. Arzneywisſ. 3. Th. p. 260.*

(4) *Op. cit. T. I. p. 538.*

nervoſum agentibus productus, opii uſum poscit; in contrario vero caſu hoc remedium damnum afferre potest, quoniam nimiam reactionem fibrarum muscularium intestinornm incitat, et obſtipationem nec non alvi conſtrictionem auget. Clar. igitur CULLEN (1) aliique Extractum Hyoſciami, vi narcotica quidem praeditum, ſed alvi conſtipationem non producens, opio anteponunt.

2°. Secunda indicatio est *ſymptomatica*, quae ſymptomatum graviorum imminutionem, et actionis normalis intestinorum reſtitutionem, ſpectat.

Procul dubio ſymptomatum graviorum curatio hoc in morbo valde momentoſa est, inflammationi imprimis Ileum concomitanti cura antiphlogistica, omni ambitu, opponenda erit; venae ſectiones, niſi contraindicationes obſtent, ſaepius repetendae, ipſis vero partibus atrocius dolentibus, hirudinum (duodecim e. g.) aut cucurbitularum (ſex) admotarum ope, ſanguis est detrahendus, in quo quidem opere, ne abdomen diutius denudatum frigore laedatur, curandum est: hirudinum quoque circa anum applicatio, in hoc morbo, cum optimo ſuccesſu in auxilium vocari potest.

Prae-

(1) Vid. *op. cit.* §. 1383.

Praeprimis etiam hic in cenſum veniunt remedia mucilaginoſa et oleoſa, viscerum abdominalium irritationem praeclare moderantia ac demulcentia; ex his remediis Emulſiones ex amygdalis dulcibus et ſeminibus papaveris albi admodum laudantur (1): CULLEN (2) dixit, ſe ex uſu Tartritis potasſae acid. bonos effectus expertum fuisſe, quia hoc remedium parvis doſibus ſaepe repetitis propinari potest, neque adeo facile, ac cetera ſalia media, vomitu ejicitur. — Nitratis potasſae autem, muriatis Ammoniae, potionisque Riverianae, etiamſi inter remedia praeſtantisſima antiphlogistica pertinentium, uſus, neutiquam hoc in ſtatu fertur, ob nimiam ſenſibilitatem, in hoc morbo valde notabilem, et continuo auctam (3).

Ad vomitum molestum compescendum, linteamina, calida infuſione herbarum narcoticarum imbuta, abdomini adplicata, haud raro optimo cum ſuccesſu in uſum vocantur, caveatur autem et in horum adplicatione ab omni frigoris aditu. Cataplasmata, ingrediente morbo imprimis, ab aegris non bene feruntur, quare eorum uſus pluri-

(1) RICHTER, *op. cit. Tom. I. pag. 525.*

(2) *Loc. citat.*

(3) RICHTER, *op. cit. Tom. V.*

rimum incongruus apparet, dum ſuo pondere dolores jam adeo vehementes augere ſoleant. Recte quoque venter linimento volatili cum laudano illiniri potest, et balnea calida imprimis aromatica, ob vires antiſpasmodicas, hoc in morbo valde conveniunt; obſtructio pertinax, ſeu alvi conſtrictio, hujus morbi characteristicum ſymptoma, praecipue medici attentionem meretur. Remediorum quidem purgantium, praeſertim drasticorum, uſus, ex praeclarorum virorum Richteri (1), et Gruneri ſententiâ, haudquaquam est praeſerendus; Cullenus (2) vero adhibitionem drasticorum remediorum commendavit, unice in Ileo, a faecibus induratis, ſive cauſa mechanica, orto; Richterus ſolummodo applicationem remediorum leniter purgantium concedit.

De Jean (3) caſum ſequentem revera memorabilem retulit; Rusticus, postquam alvum, ob ingentem quantitatem pomorum ſylvestrium devoratam ex earum vi adſtringente tam ſiccam acceperat, ut nullatenus ſolvi posſet; incidit ul-

(1) Richter, *op. cit. Tom. IV. pag. 215.*

(2) *Loc. citat.*

(3) *Op. cit. p. 661.*

ultimo in Ileum maximo impetu, ita ut certa mors exſpectaretur, et jam materies ſtercoracea prodiret; interim ejus mater continuo aqua calida ſovebat intestinum rectum et abdomen. imo, digito in anum immiſſo, faecem duram extraxit, quo facto morbus ſolutus fuit. De Haen (1), Cullen (2) et Aclair (3) aquae calidae adhibitionem tam internam quam externam, quoque valde laudaverunt in Ileo, ab induratione et accumulatione faecum, orto; Aclair obſervationibus confirmavit (4), ſe in 20 Ilei caſibus, ſemper 19 inveniſſe, a cauſa hac indicata, ortos. Injectiones aquae calidae perficiantur ope inſtrumenti hunc in finem inventi, quam ſaepiſſime; in intervallis autem abdomen oleo calido illinitur, et tamdiu haec medicatio protrahitur, donec aeger tenesmos percipiat.

Consbruch, Brandis, Spence, Richter, aquam frigidam contra Ileum valde commendaverunt, imprimis Brandis et Spence, qui, in duobus caſibus, in quibus alvus jam per 11 dies con-

(1) *Rat. Medend. Vol. VIII. pag. 250.*

(2) *Op. citat.*

(3) *Chir. Bibl. 10. B. 5. ſt. p. 400.*

(4) *Loc. cit.*

constricta erat, et multa remedia nullum levamen afferre potuerant, aqua frigida debita quantitate sumpta, post 24 horas alvum solutam, observaverunt. SYDENHAM, PRINGLE et RICHTER (1) inter remedia, ad alvum solvendam, maxime laudata, imprimis usum sulphatis magnesiae enumerant. CONSBRUCH (2) ad alvum ducendam oleum laxativum VOGLERI, sequenti modo paratum, commendavit. ℞. Resin. jalapp. gr. IX. sapon. venet. gr. iii. exacte terend. in mortar. serpent., adde ol. olivar. puriss. cochl. 2. M. cujus miscelae omni hora dimidium cochlear aeger sumit. Medicus quidam Antiguensis (3) refert, se miscelam muriatis Hydrarg. oxydul. cum opio, in omnibus fere casibus Ilei, optimo cum eventu adhibuisse. CULLEN quoque et PEMBERTON (4) muriatis Hydrarg. oxyd. usum in Ileo valde commendaverunt, quia actio hujus remedii in intestina eo praesertim redire videtur, quod materiam plasti-

(1) Conf. RICHTER, *loc. cit. T. IV. pag. 215.*

(2) *Klinis. Taschenb. Vol. II. Pars 2. pag. 413.*

(3) *Memoirs of the Med. Society of Lond. Vol. II.*

(4) PEMBERTON, *Ziekten der onderbuiks ingewanden uit het Engelsch, vertaald door J. J. VAN HOUTEN, M. D. te Haarlem 1819.*

ticam ſolvendo, atque adeo faecum accumulationes, et conſtrictionem ſpasmodicam intestinorum imminuendo, illorum evacuationem faciliorem reddit. Nonnulli practici Ilei, emiticorum, fractis doſibus, uſu ſoluti, exempla protulerunt: Doct. MICHEL (1) auctore infuſione radicis Ipecacuanhae, ex drachmis tribus paratâ, et enematis applicatione vomitus non ſolum ceſſavit, ſed alvus etiam fuit ſoluta. De uſu emeticorum fractis doſibus, FERRUS plurimas (2) commemoravit obſervationes, in quibus, multis remediis ſine ullo fructu adhibitis, hac methodo, tandem morbum curavit.

WEIKARD (3) valde laudavit omni ſemihorio dare gr. 15. Pulver Ipecacuanhae cum opio (Pulv. doveri), et postea, ceſſantibus doloribus, remedium propinare laxativum. CULLEN (4) dixit, emetica, fractis doſibus adhibita, neque vomitu ejecta, vim purgantem efficaciſſimam praeſtare poſſe. Etiam in *Comment. Soc. Götting* (5) refertur ca-

(1) Vid. *Journ. de Medecine Tom. LXXI.*

(2) *Chir. Bibl. I. B. 3 ſt. p. 456.*

(3) *Medizin. Pract. Handb., Heilbron 1797.*

(4) CULLEN, *op. cit. pag. 260.*

(5) *Chir. Bibl. 3. B. 4 ſt. pag. 641.*

casus, in quo omni semihorio gr. dimid. Radic. Ipecacuanh. aeger sumpsit, et post granorum sex usum, in sommum placidum incidit, cessantibus abhinc doloribus, et alvo ope clysmatis laxantis soluta.

Fortasse applicatio hujus radicis, sedante magis ratione agentis, opio, hoc in morbo est praeferenda. Praeterea clysmata, initio emollientia, non sunt omittenda; sedata inflammatione clysmata magis irritantia sunt adhibenda, inter quae, imprimis laudari merentur quae ex Herb. nicotiana infusa parantur, vel in quibus, ejusdem fumus in intestina injicitur (1), porro clysma ex assa foetida, cum tartr. potass. stib. a nonnullis valde laudatur; CULLEN ex oleo therebinth. in anum injecto bonos effectus observavit. Exemplum obstipationis pertinacis, ope clysmatis, ex spir. therebenth. ℥i. vitellis ovor. N°. 2, et duodecim aq. Hordei unciis, sublatae nuperrime narratum, legi (2). WILMER (3) tandem tribus

(1) Vid. RICHTER et CULLEN, *locis citat.* H. D. GAUBIUS, *Adversar. varii argumenti Cap. IV. pag. 45.* De *Instrumento Clysmatico ad fumum Necotianae in anum impellendum.*

(2) *The London Medical Repository, Sept. 1821.*

(3) *Chir. Bibl. 5. B. 4 st. pag. 583.*

bus casibus, utilitatem vesicantium in Ileo confirvamit.

3°. Tertia indicatio, imprimis dilationem mechanicam tractus intestinalis complectens, cura mechanica dici potest (1). Magnae quantitatis aquae tam calidae quam frigidae assumptio, vi sua mechanica, sensim sensimque intestina amplificante, agentis, huc omnino pertinet, de cujus autem actione quum supra vidimus, nunc ad aliud remedium, a plurimis scriptoribus, non omni profecto sine jure reprobatum, ad Hydrargyrum, nempe metallicum est transeundum. CULLEN, RICHTER, WEIKARD, GALLESKY (2) adhibitionem hujus metalli reprobant; attamen hodie dantur plurimae observationes felicem usum hujus remedii probantes; SPENCE (3), HUFELAND et KRUCH (4) plures narrant historias, in quibus Hydrargyri applicatio, haud sine felici eventu fuit adhibita. Sic binis in casibus notatur, omnibus symptomatibus mortis instantis periculum indicanti-

(1) Leg. *Dict. des Sc. Medic. Tom. XXIII. sub Artic.* Ileus.

(2) *Onomatolog. medic. practica*, 3. *B. p. 711.*

(3) *Medical. transact. Vol. III.*

(4) *Journ. der Pract. Heilk. V. St. p. 116. Novb. 1821.*

tibus, tandem libram dimidiam hujus metalli, cum debita quantitate olei olivarum, adhibitam fuisse, tali cum ſuccesſu, ut non ſolum omnia ſymptomata periculoſa et molesta ſponte cesſaverint, ſed etiam post octiduum Hydrargyrum per alvum deponeretur, et postea aegri ſanati fuerint. Aliud deinde exemplum Ilei curati per duas hydrargyri metallici libras ingestas nuper communicavit D. J. VAN DER HOUT (1).

Animadvertendum vero, hoc remedium in uſum non esſe vocandum, quamdiu adſit inflammatio, nec niſi, in intestinorum obturatione a cauſa mechanica. NAUDEAU (2) quoque Hydrargyrum in pluribus caſibus applicavit, ſed ſemper ſine ſuccesſu; et ſane hoc remedium valde heroicum manet, et medicus conſcientioſus bene omnia perpendere debet, antequam ad ejus uſum concludat; quia non deſint exempla, in quibus intestina post mortem ejus uſu lacerata inveniebantur (3).

Licet deinde quoque exempla Ilei deglutitione glo-

(1) Vid. *Alg. Kunst- en Letter-Bode 1819. n. 18. T. I. p. 275.*

(2) *Chir. Bibl. 9. B. 1. ft. pag. 260.*

(3) *Onomatol. Medic. pract. 3. Band. pag. 712.*

globorum aureorum, argenteorum (1) plumbeorumve ſanati, proferantur (2), nos tamen horum globorum administrationem, varias ob cauſſas, neutiquam in cenſum venire poſſe ſtatuendum credimus.

Denique hoc caput ſequentibus obſervationibus abſolvere, liceat, in quibus Enterotomiae operatio feliciſſimo cum ſucceſſu facta fuit. « Illustr. « Baroniſſa A LANTI, prope Castilionem ad Sequa- « nam in Burgundia, Iliaco affectu laborans, pro « deplorata habebatur. Offert ſe juvenis chirurgus, « diu castra ſecutus, qui ſalutem certam pollicetur, « modo aegra ſectioni in abdomini faciendae ſe ſub- « mittat. Conceſſam aggreditur operationem Chi- « rurgus, multisque eductis et evolutis intestinis, « antequam convolutio et contortuplicatio appa- « reret, eam nactus explicat et nodos diſſolvit, « postmodum intestina in ſedem reſtituit. Hinc « facta gastroraphia vulnus feliciſſimo ſucceſſu « conſolidavit, integraeque valetudini nobilis fe- « mina reſtituta (3). — Legitur quoque apud SWIE-

(1) CULLEN, *loc. cit.*

(2) *Chir. Bibl. 9. B. 2. St.*

(3) BONNET, *Sepulchr. Anat. Lib. III Sect. XIV pag. 228.*

Swietenium (1), eandem operationem, jubente Nuckio (celeberrimo quondam apud Batavos Anatomes Profesfore) in femina quinquagenaria a dexterrimo Chirurgo factam fuisfe, ita ut ultra vigenti annos dein fupervixerit haec aegra. Alibi quoque hanc operationem Barbette (2) propofuit, quoniam fatius est, illam inftituere quam certae morti aegrum tradere. Richterus (3) autem folummodo illis in cafibus hanc operationem fuadet, in quibus aegroti corpora dura acuta deglutiverunt, et in loco fixo abdominis doloribus vehementibus cruciantur, vel etiam, post vulnerum intestinalium curationem, angustatio feu coarctatio tractus intestinalis aliquomodo verofimilis reddatur.

(1) *Comment. in Herm. Boerh. Aphorism. de Cognofc. et curand. Morb. T. III. part. 1. § 946. Not. 5.* Vid. *Disf. Inaug. Corn. Henr. Velse pag. 19.*

(2) *Anotom. Pract. Libr. IV. Cap. 1.*

(3) *Loc. modo citat. Tom. IV.*

CAPUT SECUNDUM.

OBSERVATIONES.

Obſervatio Prima.

Cornelis van Blokland, miles in agmine pedestri N° 15°, viginti et duos annos natus, conſtitutionis phlegmaticae, debilis, et habitus cachectici, in aetate infantili diverſis morbis, uti acidae indigestioni, ſcrophulis, et inprimis affectioni verminoſae fuit obnoxius, quibus diverſa oppoſita fuere remedia; postea aetate juvenili ſatis prospera valetudine fructus est, architectura tamen corporis valde infirma manente. Tempore vernali, Anni 1820, per tres ſeptimanas febre intermittente tertiana correptus fuit, quo morbo ſanato, ſub finem menſis ſeptembris ejusdem anni, per intervalla vomituritioni doloribusque colicis obtuſis vexatus est, cum aliqua ventris intumescentia, quos dolores aeger ope lactis dulcis ingesti interdum mitigare conatus fuit.

Temporis progreſſu, hae vomitiones frequentio-

tiores, inprimis post ingesta apparuere, appetitus nunc deletus, tunc avidus fuit, aegro interim valetudine tali gaudente, ut negotia et exercitia militaria in campo militari, huic urbi vicino, apud pagum *Zeist* praestiterit. Praeterea notandum, aegrum initio mensis Octobris hujus anni castra sequi conatum fuisse, ut exercitia militaria in campo efficeret. Itinere facto, denuo doloribus colicis torminibusque abdominis, cum vomituritione ingestorum ilico cruciatum se sentiit, adeo quidem, ut propter dolorum vehementiam, per aliquot tempus in via morari coactus fuerit; deinde ad suos rediens, lecto incumbens, infusionis chamomillae usu doloribus utcunque liberatus est Nox tamen insequens inquieta fuit, propter dolores, cum pandiculatione, siti, validoque capitis dolore; hocce in statu, die quinto mensis Octobris in nosocomio receptus, sequentia obtulit symptomata.

Habitus externus pallidus erat, ambitu oris nasique flavescente; lingua oblita, flava; sitis notabilis, dolor capitis; oculorum hebetudo; vomituritiones per biduum; facies collapsa pallidaque; pulsus aliquomodo acceleratus; dolores interdum colici; alvus per triduum non soluta; extremitatum frigus.

In-

Investigatur num hernia adſit, nulla vero reperta est. Jam quum ex omnibus ſymptomatibus appareret, aegrum inflammatione correptum esſe, nec non ob alvum ſtrictam, Decoct eccoprotic. cum ſulph. magneſ. praeſcriptum est; pro potu Decoct. hord. cum ſucc. citr. datum fuit, et praeſcripta diaeta ſtricta, tenuis.

Tempore vespertino, omnia perſtant, tumescentia ventris aliquomodo aucta, attactu dolens; dolores circa umbilicum aegrum cruciant, alvus non ſoluta fuit. Nunc vero efficacisſima methodus antiphlogistica in auxilium vocatur. Venae ſectio inſtituitur; ad dolores leniendos abdomini fomentationes tepidae imponuntur, et omni bihorio clysma Emolliens applicatur, uſui interno Potio emolliens cum ſulphate magneſiae conceditur.

Die 9°. Nox inquieta, ſanguis e vena misſus nullum indicium inflammationis monſtrat; vomitus materiae bilioſae acris asſiduus; remedia asſumpta quoque per os ejiciuntur, dolor et tumor ventris continuo increscunt; alvus ſtricta manet; Iſchuria adest; pulſus acceleratus et parvus; vires a priore affectione imminutae. Venae ſectio non repetitur; duodecim vero hirudines umbilicali regioni admoventur, caeterum eadem curatio

ac

ac heri: hocce tempore aeger ſimul in curam Viri Doct. VAN EMDEM, Chirurg. 1ae. Clasſis, res medica in noſocomio militari dirigentis transiit.

Vespere alvus nondum ſoluta; conditio aegri haud emendata; frigus totius corporis, cute anſerina obducti; vomituritiones perſtant. Balneo calido aeger immittitur, caeterum eadem cura.

10°. Nox molesta, inſomnisque fuit, intumescentia ventris aucta, tactu externo quoque dolor augetur, et aeger vestimenta lanea ſuper abdomen ferre nequit; pulſus est celerrimus; lingua ſicca, vomitus continuus, cum ſtrangulatione inſructuoſa, anxietas ingens.

Propter vomitum incommodum aeger medicamenta potusque ſumere recuſat; alvus manet conſtricta; praeſcribitur Infuſio Rhei cum ſulph. magneſ. et Extr. Hyoſc. Asperſiones aquae frigisdisſimae abdomini applicantur; clysmata magis irritantia ex decoct. nicotianae continuantur, ast! nullo cum levamine.

Circa vesperam omnia ſymptomata in pejus ruunt; animi deliquia continua adſunt, vomituritiones cum notabili anxietate, ſingultus, dentium ſtridor, ſubſultus tendinum; meteorismus,

cum

cum borborygmis, alvo ſemper conſtricta; facies Hippocratica; ſomentationes cum aqua frigida ſuper abdomen continuantur.

Die 11°. aeger tempore nocturno parum quievit; remisſio doloris notabilis, adest vomitus minor, abdomen non adeo tumefactum apparet, ſingultus cesſat; ſed e contra frigus extremitatum notabile, et horrores. — Quàvis hora magna laudani doſis aegro propinatur, metus enim adest, gangraenae in ſcena jam praeſentis, omniaque antea praeſcripta caeterum continuantur. Tempore vespertino omnia ſymptomata denuo exacerbantur; trismus accedit, ſudores partiales, pulſus prorſus non percipiendus, pallor cadaveroſus; denique die ſequente horâ ſecundâ post meridiem moritur aeger.

CADAVERIS SECTIO.

Valde momentoſa, omnique attentione digna erat cadaveris disſectio. Quoad externas corporis partes; ex ore humor ſanguinolentus fluebat; abdomen valde expanſum, hic et illic maculis lividis obductum erat.

In cranii cavitate neque in ipſo cerebro nihil memorabile obſervabatur.

Dis-

Disſecto pectore, omnia organa bene ſeſe habebant; diaphragma propter intumescentiam ventris valde ſurſum eminebat.

Ex aperto abdomine magna materiae ſanguinolentae et ſeroſae copia fluebat; omentum verſus Hypochondrium ſiniſtrum erat depresſum, et faſciculorum membranaceorum ope peritonaeo inflammato et materie albuminoſa obducto, adhaerebat.

Inteſtina tenuia, praeter modum et ad volumen enorme expanſa, valde inflammata, rubra, et aëre foetido repleta erant, ita ut, illorum pars amplior, circumferentiam novem pollicum haberet; interſtitia convolutionum materiâ plasticâ recenti conjuncta reperiebantur.

Ultima pars inteſtini Ilei, ſolitum ſuum decurſum habens, gangraenoſa, nigreſcensque inveniebatur, et per ligamentum novum, abnormale, juxta ejus tranſitum in coecum, fortiter conſtrictum erat, ita quidem, ut nulla materies, ne liquida quidem, tranſire posſet.

Convolutionibus hujus inteſtini conſtricti deſciſſis, ut faeces induratae hoc modo ex nodis ſtrangulatis evacuarentur, tres Lumbrici mortui, in iis reperti ſunt. Remotis inteſtinis expanſis, ventricu-

culus inflammatus, et expanſus, nec non, ut caetera intestina tenuia, eodem aëre foetido repletus inveniebatur; ventriculus autem ob majorem intestinorum circumferentiam ſuperiora verſus protruſus erat. Intestinum coecum valde erat angustatum et coarctatum, colon revera collapſum albidumque reperiebatur. Meſenterium nonnullis in locis inflammatum et incrasſatum apparuit.

Quamvis intestina crasſa, ſuo in ſitu nil abnormale monſtrabant, attamen illorum circumferentia duos pollices non ſuperabat, praeterea adſpectus hujus intestini et color a conditione naturali aberrabat; color enim magis albus inveniebatur. Haec magnitudinis abnormitas nec non adſpectus et coloris, in Coeco intestino major apparuit, cujus circumſerentia non plus quam ſex pollices habuit; hujus diameter transverſalis duorum erat pollicum; dum e contra diameter longitudinalis tres et dimidium pollices et tres lineas ſere aequabat, in ſtatu recente.

Porro attente diſpoſitionem partis circumſtrictae investigans, ſponte tres nodos distinguendos vidi, quorum duo ſuperiores, dexter et ſinister et alter inferior. *Ligamentum hanc circumſtrictionem producens*, ſequenti ratione, ſub forma

ex-

expanſionis quodammodo latae, partim ex media parte meſenterii, nodum inſeriorem, partim a tunica externa intestini, nodum ſuperiorem dextrum conſtituentis, nascitur; nodus ſuperior ſinister, dextro major, immediate a ligamento, ex meſenterio orto, formatur, deinde dextrorſum ad nodum ſinistrnm descendit, posteriorem partem occupans, iterum ſuper partem infimam intestini Ilei, verſus nodum dextrum minimum decurrit, et ſic eum conſtituit; denuo verſus inferiorem descendit, et ope prolongationis, ab intestino conſtricto factae, hoc *ligamentum abnorme* tandem in tunicam externam prolongationis enumeratae excurrit, quae prolongatio, novam conſtrictionem formans, nodum inferiorem ſeu maximum efficit.

Quum initio hujus morbi ex omnibus ſymptomatibus apparuerit, aegrum ſolummodo fortiorem intestinorum tenuium inflammationem perpesſum esſe, deinde tamen ſponte patuit, reſolutionem inflammationis apud aegrum nostrum haud factam et exſpectandam fuisſe, quoniam omnia ſymptomata, methodo licet antiphlogistica efficacisſima in auxilium vocata, conſtanter augebantur; tertio ve-

vero die post morbi incrementum, ex omnium ſymptomatum conſtantiâ perſeverantiaque, metus nos arripere cepit, obſtantis intusſusceptionis; quae ideo magis probabilis videbatur:

1°. Quoniam aliis in caſibus curatio inflammationi oppoſita ſemper aliquod levamen afferre ſolet; hocce vero in caſu augmentum ſymptomatum, et nulla emendatio obſervata fuit, unde concludendum, inflammationem intestinorum non fuisſe morbum primarium ſed ſecundarium.

2°. In inflammatione intestinorum, ſive in Enteritide, morbo, cum Ileo magnam analogiam habente, haud raro, decurrente morbo, alvus ope remediorum adhibitorum, et praeſertim clysmatum ſolvitur, quod vero nostro in aegroto haud obtineri potuit.

Quamvis vomitus in aegro nostro continuus erat, materiae tamen, vomitu ejectae, nullatenus ſtercoraceae apparuerunt; ex natura circumſtrictionis, post ſectionem cadaveris inventae, hoc phaenomenon facile explicatur.

Non inveniuntur apud ſcriptores multae obſervationes, quae quoad naturam praeſertim morbi, cum caſu nostro magnam ſimilitudinem habent.

Exp.

Expert. GARTSHORE (1) tantum casum Ilei lethalem communicavit, in quo ligamentum novum magnam partem intestini Ilei circumstringens repertum fuit, hoc ligamentum, ex mesenterio ortum ducens, duos pollices et dimidium longum fuit.

Dantur quidem plurima exempla constrictionum, a processu vermiformi factarum. Doct. KLOEKHOF, MORTEAU (2), MOREAU (3) multique alii quoque de his locuti sunt. Dantur deinde quoque casus, in quibus intestina inter se convoluta strangulationem effecerunt (4).

Hìc casum, a MOREAU enarratum, propter singularitatem breviter describere liceat. Erat is sequens.

Puella, novem annos nata, antea sana, grave onus ferens, in clunes delapsa fuit; per octo dierum spatium post lapsum nullis incommodis vexata; hoc tempore praeterlapso, doloribus colicis, cum aliqua intumescentia ventris se adfectam sentiit; omnibus abhinc Ilei symptomatibus apparentibus, et

(1) RICHTER, *Chir. Bibl. B. 11 4. St.*

(2) RICHTER, *Therap. Spec. T. IV. p. 208.*

(3) *Chir. Bibl. B. III. pag. 585.*

(4) *Journ. Univ. des Sc. Méd. Octob. 1816.*

et morte die decimo quinto insequente. Sectione cadaveris sequentia observata fuerunt.

Intestina tenuia inflammata; pars libera processus vermiformis ita fortiter mesenterio accreta, ut hinc species nodi formatus esset, in quo, pars intestini Ilei strangulata reperiebatur. Adhaesio processus vermiformis cum mesenterio tam firma erat, ut valde probabile videretur, illam jam diu exstitisse; lapsu vero partem intestini per nodum fuisse protrusam.

Duae conditiones praesertim apud aegrum nostrum pertractandae videntur.

1°. Ligamenti formatio.

2°. Ejus natura, quâ Ileus producebatur.

Quoad ligamenti formationem: videtur illud a praegressa inflammatione passiva mesenterii orginem suam habere; id eo magis verosimile apparet, non solum ex incremento et induratione ipsius mesenterii, sed quoque ex ipsius ligamenti attenta animadversione, sententiam nostram omnia confirmante. Supra jam vidimus, hoc ligamentum sub forma parvae fasciae aliquomodo latae ex mesenterio oriri; porro docuerunt exempla, per inflammationes tam activas quam passivas novas membranas et ligamenta producta fuisse, uti in pleuri-

ritide pſeudomembranae, quae haud raro adeo tenaces eſſe ſolent, ut, niſi fortiori adhibitâ vi, ſolvi nequeant.

Dantur praeterea alia plura exempla novorum corporum productorum, quorum enumerationi hîc non datur locus. Sed mutationes aliorum organorum per praegreſſas inflammationes, quoque obſervatae fuerunt: ſic legitur caſus oſſificationis ipſius Pylori nec non Glandulae pancreatis (1). Quapropter jure apud aegrum nostrum hanc ſententiam admittere poſſumus, hoc ligamentum heterogeneum a praegreſſa inflammatione paſſiva ſeu asthenicâ ortum eſſe: praeſertim ſi porro ligamenti naturam cum brevi morbi decurſu comparemus. Natura hujus ligamenti valde tenax et tendinoſa, forma rotunda obſervata est. Quâ vero ratione nunc hoc ligamentum circumſtrictionem ſingularem produxerit, minime explicare tentabo, quoniam omnes conatus ad hanc explicandam omnino hypothetici evaderent.

(1) *Med. und Chir. Zeitung*, 1821.

Ob-

Observatio Secunda. (1)

Pascal Rubin, 72 annos natus, die 9 Martii Anno 1819 in nosocomium Lugdunense receptus fuit, omnia symptomata Ilei offerens; vomituriționes, quae ante triduum jam inceperant, initio mucosae, tandem stercoraceae, fuerunt: constipatio alvi ab eodem tempore; venter tensus et tumefactus, tactù dolens; pulsus frequens et parvus; facies contracta (*gripée*) animi deliquia continua etc.

In annulo inguinali dextro hernia observabatur, magnitudinem ovi gallinacci adaequans. Haec hernia, quam aeger jam per plures annos gesserat, itidem dolebat atque abdomen, sed taxi facile reducebatur, atque non minus facile rursus apparuit. Interrogatus aeger quonam in loco doloris sensus primum se manifestare incepisset, dixit, se illum statim observasse in toto abdomine, nec non in tumore hernioso; iterum totam abdominis superficiem accurate examinavi, ut hac ratione detegerem, num fortasse in aliqua parte par-

(1) Haec observatio ex diario *Journ. Complém. du Dict. des Sciences Médic. Mai 1819.* excerpta est.

parva quaedam hernia adesſet, quae omnibus hisce ſymptomatibus anſam daret, ſed nulla reperiebatur.

Hâc in conditione Peritonitidem vel Strangulationem internam morbi naturam, neutro vero in caſu ullam operationem inſtituendam esſe, viſum est; viginti contra hirudines abdomini applicantur; tumori hernioſo cataplasma emolliens imponitur; abdomen fomentationibus tepidis fovetur, porro per intervalla enemata emollientia injiciuntur. Serum lactis pro potu datum tamen vomitu haud ejectum fuit, nec per triduum aeger vomuit, quamvis alia ſymptomata eadem intenſitate perſtiterint.

Die 13°. menſis Martii vomituritiones denuo apparuerunt, et tandem die ſequente aeger periit.

SECTIO CADAVERIS.

Hernia inguinalis dextra in abdomen redierat; facies interna ſacci rudis, valde rubra et tomentoſa; dilatatio annuli inguinalis et colli ſacci admodum magna fuit. Intestinorum tenuium diameter duos pollices aequans, ſuperficies ejus ſeroſâ valde rubra, et crusta albuminoſa nondum orga-

nisata tecta. Tandem, tractus intestinalis decursum sequens, sensim omnium phaenomenorum causam detexi; octo ulteriores pollices hujus intestini (Ilei nempe) nodum formabant, cujus convexitas deorsum tendebat, et qui nodus (*anse*) fortiter a processu coecali strangulatus erat. Hic processus, statim anteriorem partem extremitatis superioris nodi occupans, sursum decurrebat, deinde versus posteriora se convolvebat, tum antrorsum recurrebat; sub inferiore parte terminationis intestini tenuis in coecum decurrebat, et supra locum, ubi processus ab intestino coeco oritur, hoc modo, ut nodus perfectus perficeretur.

Ultima pars libera processus, eadem ratione fortiter strangulata et inflammata, volumine nuci juglandi et portioni intestini tenuis similis erat, itaque, quod in initio non facile dignoscebatur. Attentiore investigatione hujus extremitatis tumefactae mihi apparuit, membranas serosas musculosasque ruptas, et mucosam adhuc sanam per has membranas protrusam fuisse, levemque herniam constituisse.

Haec membrana mucosa a minima pressione facile rupta fuit, et ex hac parte tumefacta processus vermiformis materia gelatinosa, crassa, Rob.

Ri-

Ribeſiorum quoad colorem perfecte ſimilis, effluxit. Hâc materiâ effluxâ, extremitas collabebatur et nodus a proceſſu formatus, tumescente extremitate non amplius retentus, ſponte fuit ſolutus.

Nunc primum ſtrangulatarum partium diſpoſitionem bene dignoscere potui, quae talem ſe habebat, qualem ante deſcripſi.

Strangulatio immediate formata fuit, ab appendicis meſenterio, quod, proceſſu ipſo brevius, fortiter anſam intestini tenuis conſtrinxit. Hic quoque nodus valde niger et collapſus apparuit.

Pars poſterior intestini cœci (*cul de ſac*) a conſtrictione continua, a proceſſu producta, evanuerat.

THESES.

I.

Functio Lienis eo imprimis redire videtur, quod abundantem partem carbonicam ſanguinis detrahat.

II.

Nec asſentimur BROWNIO, *omnes Haemorrhagias ex debilitate oriri, ſtatuenti; nec Doct.* BROUSSAIS, *easdem ſemper ſthenicas esſe putanti. Utrumque vitium in cauſa esſe potest, et pro cauſae diverſitate cura etiam varia est inſtituenda.*

III.

Remedia externa in Eryſipelate generatim nocent; ſufficit ut pars affecta ab aëris injuriis tuta ſervetur.

IV.

Cataplasmata emollientia in Ophthalmia nocent.

V.

Pulſus parvus et contractus, diverſis in mor-

morbis obſervandus, ſaepius in praxi medicos in errorem inducere potest.

VI.

In Peritonitide puerperali Venae-ſectio, non niſi rarisſime indicatur.

VII.

Proſopalgia Fothergilli *rectius inter morbos Spasmodicos, quam inter Rheumaticos refertur.*

VIII.

Hydrops non ſemper est morbus asthenicus. Contrarium docent plures hujus morbi causſae, et curatio, quae ſaepe per evacuantia antiphlogistica feliciter inſtituitur.

IX.

Iödium, *contra Bronchocelem et graviores quosdam morbi ſcrophuloſi caſus, recentius commendatum, prudenter a perito medico interne ſine noxio effectu exhiberi potest, minus tamen periculum ab uſu ejus externo videtur metuendum.*

X.

Inter praeparata vero Iödii, Hydriodates Iödurati *prae ſimplici ejus* Tinctura *praeferri merentur.*

XI.

XI.

Recte Exp. Larrey, amputationem extremitatum, post vulnera, in praelio accepta, indicatam, quantocius esſe inſtituendam, docuit.

XII.

Non improbabilis videtur Exp. Wigand doctrina, qui in partú, placentá praeviá, et uteri orificium occupante, potius ſuadet haemorrhagiam, introducto in vaginam cylindro ex linteo carpto, coërcere, quam placentam ſolvere, et partum immediate efficere.

XIII.

Funiculi umbelicalis ligaturam ſemper, etiamſi infans jam reſpiraverit, et pulſatio in funiculo cesſaverit, utilem esſe puto: illá enim neglectá lethalem infanti haemorrhagiam aliquando ortam fuisſe, ipſe obſervavi.

XIV.

Mente conſtare, et bene habere ad ea quae offeruntur, quovis in morbo bonum, contrarium vero, malum. (*Hippocr.* Sect. 2. Aph. 33.)

EX-

EXPLICATIO TABULARUM.

TABULA PRIMA.

Fig. 1. Intestina constricta, a parte anteriore.

1. Pars Coli.
2. —— Ilei.
3. Intestinum Coecum.
4. Processus vermiformis.
5. Nodus dexter minimus.
6. —— Sinister major.
7.7. —— Inferior maximus.
8. Ligamenti praeternaturalis initium ex mesenterio, sub formâ fasciae latae.
9. Ejusdem ligamenti continuatio nodum dextrum constituens.
10. Mesenterium.

Fig. 2. Intestina constricta, a parte posteriore.

1. Colon.
2. Pars Ilei.
3. Intestinum Coecum.
4. Processus vermiformis.
5. Nodus dexter minimus, nunc magis sursum retractus.
6. Nodus Sinister major.
7.7. —— Inferior maximus.
8. Ligamenti abnormalis continuatio.
9. Mesenterium.
10. Nodi sinistri prolongatio.

TA-

TABULA SECUNDA.

FACIES ANTICA.

Fig. 1. 1. Colon.

2. Coecum.

3. Finis intestini Ilei.

4. Extremitas processus vermiformis tumefacta.

5. Intestini tenuis pars, quae cum nodo strangulato continuationem efficit.

6. Nodus strangulatus.

FACIES POSTICA.

Fig. 2. 1. Colon.

2. Coecum.


3. Processus vermiformis extremitas tumefacta, a parte postica.


4. Origo appendicis vermiformis, cujus tractio partem posteriorem coecam intestini coeci evanescere fecit.


5. Pars intestini tenuis, nodi strangulati continuationem efficiens.

6. Nodus strangulatus.

Fig. 1. Tab. 1.







J.P. Liho.